



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 87. Henricus VIII. Gallorum hostis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



Hic fuit exitus expeditionis, quam Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.  
Gasto Fuxensis susceperat, qui intra quindecim dierum spacium fortissimorum Belliducum experientiam elusit, Bononiam ab exercitu viribus suis longe superiore obsessam liberavit, aeris injuriam superavit, expedita Venetorum agmina interceptit, dissipatisque eorum indigenis militibus totum exercitum prælio vicit, ac Brixiam munitissimam continentis urbem unacum eorum Belliduce cepit. Jam omnium sententia erat, tam secunda armorum auspicia continuatæ felicitatis auguria fore, totumque Fœderatorum exercitum a Gastone penitus deletum iri, demum hunc Victorem Romam perecturum, ut Julii Papæ odium, quod in Gallos exerebat, plecteret, eoque exaucto rato novum Papam eligi curaret; addebant alii, Gastonem quoque Roma Neapolin usque, cujus regni dominium Ludovicus Rex affectabat, victricia sua arma protensurum, Hispanosque castigaturum.

## §. LXXXVII.

*Henricus VIII. Gallorum hostis.*

Attamen Fœderati hisce adversantis fortunæ injuriis adeo non animo frangebantur, ut eorum etiam societas novis viribus potenter cresceret; Florentini



*Sæcul. XVI.* tini enim Regis Christianissimi amicitiae  
*A.C. 1512* nuncium mittebant, necnon proximam  
 irruptionem minitabantur Helvetii, nil-  
 que propius erat, quam ut Henricus  
 VIII. Angliæ Rex rupto cum Gallis fœ-  
*Gnice. l. 10.* dere bellum nunciaret, Fœderatisque  
*Paul. diacon.* adhæreret. Huic quoque, ut eum ad  
*de gestis Lon-* suas partes alliceret, Julius prægrandem  
*gob. l. 1. c. 5.* submisit navem, vinis generosissimis, ca-  
 feis, carnibusque conditis onustam: præ-  
 terea quidquid delicatius, unctiusque  
 Italica tellus profert, eidem transmisit.  
 Advenerant hæc munera eo temporis  
 momento, quo Regii Senatus Sessioni-  
 bus initium dabatur, placuitque tanto-  
 pere Anglis Papæ benevolentia, ut eun-  
 dem sibi obsequiis demereri, unice inten-  
 ti essent. Auxit quoque Anglorum pro-  
 pensum in Papam animum Murnayensis  
 Episcopus, qui purpuram, ad quam ad-  
 spirabat, promeriturus, tam gravibus  
 rationum momentis Pontificis causæ pa-  
 trocinabatur, ut felici verborum suorum  
 successu Angli decernerent, quod Regni  
 Præsules Romam ad Lateranense Conci-  
 lium mittendi forent, atque Pontifex om-  
 nino adversus Ludovicum, quem Episco-  
 pus Schismaticum appellabat, protegen-  
 dus esset; unde Galliæ Legatus mox ex  
 Anglia excedere jubebatur.

§. LXXXVIII.